



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Aruntius Pygmalion, Sciron, ipsi malum, quod alijs dederant, passi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Quia & ipse quoque postea tyrannus Phalaris, eidem tauro inclusus, & in cinerem redactus est. Quod supplicium inimico itidem suo Pœta imprecatur:

*Viq; ferox Phalaris, linguâ prius ense resecta,
More bouis Paphio clausus in ære gemas.*

Aristides, apud Plutarchum author est, Agestam Siciliæ oppidum fuisse, in quo principem locum tenebat Æmylius Censorinus, qui noui tormenti inuentores muneribus cumulabat. Cui cum Aruntius Patereculus equum ex ære factum ad fontes perimendos excogitasset, eiusdem iussu primus eò coniectus est, & ibidem vsulatus, Æmylio ingeniosus, sibi damnosus. Idem quod Thrasillo contigit, euenit Pygmalioni; qui quòd docuisset, Deorum aras hospitiùm sanguine irrigandas; eas ipse quoq; suo cruce coactus est foedere:

*Frater ut Antai, quo sanguine debuit, aras
Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.*

Idem Ouid.
in Ibin.

Sciron immanissimus latro, in Attica, a Theleo ia mare præcipitatus est, quò prius hospites ipse præcipitabat; cuius idcirco ossa in scopulos mutata franguntur. Tutus ex eò Atticæ limes

*Composito Scirone patet: sparsiq; latronis
Terra negat sedem, sedem negat ostibus unda:
Qua jaclata diu fertur durasse vetustas
In scopulos, Scopulis nomen Scironis inheret.*

Ouid, lib. 7.
Metam.

Crudelissima canuntur fuisse Diomedis præsepia, nam ibi equos suos humano sanguine pavit. Tandem ergo & ipse Diomedes ab Hercule datus est in pabulum suis equis. Fabula hæc dici potest; historia tamen fit sæpe apud eos, qui subditorum suorum sudore & sanguine equos ad delicias pascunt. Quid deinde mirum, si & ipsi ab equis perimantur, vel percussi, vel excussi? Icarus pater Erigones, cum Atticis vsu vini tradidisset, ab eisdem in ebrietatem lapsis interfectus est. Hinc illæ Diræ:

*Muneribusq; tuis ladéris, ut Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.*

Ouid, in Ibin.

Fit sæpe etiam ex hac fabula historia. Quoties enim, qui alterum potando cogit vires, & sanitatem, & vitam ipsam perdere, ipse vicissim vino vires, sanitatem, & vitam perdit? Quot enim culullis

SSf

alterum